OCTAVARIVM
DECOLLATIONIS
S. IOANNIS BAPTISTÆ
DIE XXIX. AVGVSTI.

IN FESTO DECOLLATIONIS S. IOANNIS Baptiſtę, omnia vt in Breuiario Rom.

PER OCTAVAM.

Omnia vt in die Feſto, pręter Lectiones; in primo Nocturno de ſcriptura occurrente; in II. & III. Nocturno hic apponuntur.



AQVIS SEXTIIS, ET FLORENTIÆ

Apud Vincentium Vangeliſti. Superiorum permiſſu. MDCLXXIX

OCTAVARIVM DECOLLATIONIS S. IOANNIS-BAPTISTAE.

DIE XXX. AVGVSTI.

Secunda die infra Octauam, omnia dicuntur vt in Feſto, prẹter Lectiones.

In primo Nocturno, Lectiones de ſcriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Sermo Sancti Ioannis Chryſoſtomi.

In princ. menſ. Aug.

LECTIO IV.

RVrsùs furit Herodias: rursùs perturbatur, rursùs ſaltat: rursùs quẹrit caput Ioannis Baptiſtẹ ſceleratè ab Herode amputari. Rursùs ambit Iezabel vineam Naboth rapere, & ſanctum Eliam perſequi ad montes. Exiſtimo autem nō ſolùm me eſſe in extaſi, ſed & omnes vos, qui auditis vocē Euangelij, mecum admirari, Ioannis quidem loquendi libertatem, Herodis autem leuitatem, & impiarum mulierum belluinam inſaniam.

Quid enim audivimus. Herodes enim apprehendit Ioannē, & poſuit in carcere propter Herodiadē uxorē Philippi fratris ſui. Hic meritò vituperaverit aliquis Herodis levitatē ab infelicibus diſcerptam, & convulſam mulieribus. Quid verò dixerit, aut quomodo explicaverit quiſpiam intemperantem mulierū illarum improbitatem? ℟. Iuſtus germinabit ſicut lilium: * Et florebit in æternū ante Dominum. ℣. Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri. Et florebit.

LECTIO V.

MIHI quidē videtur nulla eſſe in mundo fera, quę poſſit conferri cum mala muliere: Sed nunc à me verba fiunt de mala. Scio enim eſſe multas moderatas, & bonas, quarū me vitę oportet meminiſſe ad ędificationem, & amorem earum, quę ſunt bonę & honeſtę. Nulla ergo fera eſt in mundo conferenda cum mala muliere. Quid inter quadrupedes eſt Leone vehemētius? ſed nihil eſt. Quid verò inter ſerpentes eſt Dracone crudelius? ſed nihil eſt. Immò verò & Leo, & Draco illi in malo cedunt. Ei autem, quod dico, fert teſtimonium Sapientiſſimus Salomon, qui dicit ſe malle habitare cū Leone & Dracone, quàm cū mala muliere, & loquaci.

ci. Et nè putes Prophetam dixiſſe ironicè; accuratè, & diligentèr diſce ex rebus ipſis. Danielem in lacu Leones ſunt reveriti: Iuſtum autem Naboth Iezabel occidit. Cetus Ionam ſervavit in utero: Dalila autèm Samſonem tradidit alienigenis. Dracones & Aſpides, & Ceraſtę Ioãnem formidarunt: Herodias autèm ipſum in cœna interfecit. ℟. Iſte cognouit iuſtitiam, & vidit mirabilia magna, & exoravit Altiſſimum. * Et inventus eſt in numero Sanctorum. ℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad cęleſtia regna. Et inventus.

LECTIO VI.

CORVI Eliam in monte aluerunt: Iezabel autèm ipſum poſt beneficium perſequebatur ad cędem: quid enim dicebat? Si tu es Elias & ego Iezabel: hęc mihi faciant Dij, & hęc addant, ſi non cras hac ipſa hora ponam animam tuam, tamquàm unius ex mortuis. Et timuit Elias, & ambulavit pro anima ſua, & abijt in deſertum viam quadraginta dierum, & venit ſub Aomathen: & petijt, ut anima ſua moreretur: & dixit, Domine Deus, ſufficiat mihi nunc; accipe animam meam, quoniam non ſum melior, quàm Patres mei. Heù mihi,

Propheta Elias timuit mulierem, qui pluuiam orbis terrę geſtabat in lingua; qui ignem in Cęlo deiecit, & precibus ſuſcitauit mortuos, timuit mulierem? Certè timuit. Nullum enim vitium confertur cum muliere mala. Ei autèm, quod dico, fert teſtimonium Sapientia dicens: Non eſt caput ſuper caput ſerpentis, & non eſt malitia ſuper malitiam mulieris. ℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum. * Et dedit illi claritatem ęternam. ℣. Deſcenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eũ. Et dedit. Gloria. Et dedit.

In tertio Nocturno.

LECTIO VII. *Cap. 6.*

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Marcum.

IN illo tempore: Miſit Herodes, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris ſui, quià duxerat eam. Et reliqua.

Homilia Sancti Auguſtini Epiſcopi.

Serm. prim. in Feſto Decollat.

HIC eſt Ioannes, qui impietatem Regis Herodis (qui vxorem fratris inuaſerat) publica authoritate condemnans, propter iuſtitiam perdidit vitam, ſed lucratus eſt gloriam. Et nos interdum pro gratia hominum,

vel timore offenſionum præferimus adulationem, & vendimus veritatem, non timentes illud, quod terribiliter ſcriptum eſt: Si non annunciaueris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem eius de manu tua requiram. ℞. Deſiderium animę eius tribuiſti ei Domine. * Et voluntate labiorum eius non fraudaſti eum. ℣. Quoniam prębeniſti eũ in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Et voluntate.

LECTIO VIII.

SOlent tamen aliquoties Doctores Eccleſię, non pro negligentia peccantium ab increpatione ceſſare: ſed quia eos timent ex ipſa caſtigatione ad peiora mala prorumpere. Quando pro hac re non prędicant Sacerdotes, non poſſunt habere de taciturnitate reatum; quia ſicut viri boni interdum ex dura increpatione corriguntur; ità è contrà omnes etiã ſuperbi leuiſſima admonitione ad peiora præcipitia prouocantur. ℞. Stola iucunditatis induit eum Dominus. * Ft coronam pulchritudinis poſuit ſuper caput eius. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum. Et coronam. Gloria. Et coronam.

Pro SS. Felice, et Adaucto.

LE-

LECTIO IX.

Felix, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, propter ſuſceptam Chriſti Religionem comprehenſus, in Serapidis templum adductus eſt. Cui ſacrificare cùm juberetur, òs ſimulachri conſpuit. Quo facto, ſtatìm ęrea ſtatua corruit. Quod cùm iterùm, ac tertiò in æde Mercurij, Dianæque factum eſſet; Impietatis, & Magicæ artis accuſatus, equuleo torquetur. Mox ad ſecundum ab Vrbe lapidem via Oſtienſi ducitur, ut ſecuri feriretur. Cui inter viam oblatus quidam Chriſtianus, cum Felicem agnoſcens ad martyrium duci videret: Ego quoque clara voce, inquit, eadem, qua iſte, lege vivo: ego eundem Ieſum Chriſtum colo. Itaquè Felicem oſculatus, cum eo ſecuri percutitur, tertio Kal. Septembris: cuius nomen cum ignotum eſſet Chriſtianis, is Adaucti nomine nobilitatus eſt, quod ſancto martyri Felici Adauctus ſit ad coronã. Te D.

In Laudibus fit Comm. SS. Felicis, & Adaucti Mart.

DIE XXXI. AVGVSTI.

Tertia die infra Octavam Decollationis Sancti Ioannis-Baptiſtæ.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Petri Chryſol. *Serm.* 127.

LE-

LECTIO IV.

HOdiè nobis Ioannis virtus]. Herodis feritas dum refertur, concuſſa ſunt viſcera; corda tremuerunt: caligauit viſus; intellectus hebuit; aufugit auditus: aut quid conſtat in ſenſibus, humanis quando perdidit virtutum magnitudinem criminum magnitudo? Herodes, inquit, tenuit Ioannem, & ligauit eum, & poſuit in carcere. Ioannes virtutum ſchola, magiſterium vitę, ſanctitatis forma, norma iuſtitię, virginitatis ſpeculum, pudicitię titulus, caſtitatis exemplum, pœnitentię via, peccatorum venia, fidei diſciplina. Ioannes maior Homine, par Angelis, legis ſumma, Euangelij ſanctio, Apoſtolorum vox, ſilentium Prophetarum, Lucerna mundi, pręco iudicis, Pręcurſor Chriſti, metator Domini, Dei teſtis, totius medius Trinitatis; datur inceſtui, traditur adulterę, addicitur ſaltatrici. Meritò ergò concuſſa ſunt viſcera, corda tremuerũt. ℟. Iuſtus germinabit ſicut Lilium, * Et florebit in ęternum ante Dominum. ℣. Plantatus in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri. Et florebit.

LECTIO V.

AT Herodes ipſe eſt qui prophanauit templum, Sacerdotium ſuſtulit, confudit ordi-

 nem,

nem, temerauit regnũ, corrupit quidquid erat religionis; quod vitę, quod legis, quod morum, quod fidei, quod diſciplinę perdidit, & confudit. Herodes Sicarius in ciues, in nobiles latro, populator in ſocios, in domeſticos prędo, interemptor plebis, occiſor filiorum, homicida in extraneos, in proprios parricida, inebrians cruore terrã, in ſiti ſanguinis permanebat. Hinc eſt, quod Ioannis ſanguinem piũ ingenti poculo crudelitatis abſorbuit. Qui vincula ſoluerat peccatorum, hic peccatoris vinculis alligatur; vt vincta venia locum venię non relinquat. Herodes, tu adulterium facis, & in carcerem vadit Ioannes? Sic iudicas ſedens in loco iudicis reus? In loco vindicis innocentiæ perſecutor? Rogo, vbi rerum facies? Vbi fama? Vbi pudor? Vbi exiſtimatio publici cognitoris? Certè vbi Deus? Vbi homo? Vbi fas? Vbi lex? Vbi ipſius iura naturę? ſimul omnia ſunt, Herodes, te agente, te iudicante, te iubente, confuſa.

℟. Iſte cognouit iuſtitiã, & vidit mirabilia magna, & exorauit Altiſſimum.* Et inuentus eſt in numero Sanctorum. ℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & peruenit ad cęleſtia regna. Et inuentus eſt.

LE-

LECTIO VI.

HErodes, te cauſa petit; te arguunt vincula; te carcer accuſat; te diuulgat producta in publicum Ioannis iniuria. Cauſam Iuſtitię qui requirit, inuenit in te quod puniat, & in Ioanne quod doleat. Ioannes orbi natus, fama virtutum cognitus, celeberrimus Sanctitatate, dùm trahit ad ſuę inquiſitores iniurię, facit vt tuus cunctis innoteſcat inceſtus; agit vt te habeat confuſio publica, quem corrigere non potuit ſecreta correctio, & priuata: Herodem Ioannes monitis, non accuſatione pulſabat, quem corrigere voluit, non perire. Sed Herodes facibus libidinis ardens perire maluit, quàm redire, & vxorem fratris illicitè poſſidere. Captiuis criminum, innocentię inimicis odioſa fuit ſemper libertas: virtus cōtraria vitioſis; ſacrilegis exoſa Sanctitas, inimica caſtitas impudicis; corruptis integritas pęna; luxurioſis aduerſa frugalitas; crudelibus miſericordia, pietas impijs, iniuſtis iuſtitia non ferenda. Probat hoc Euangeliſta, cũ dicit: Dicebat enim illi Ioannes, non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui. Ecce vndè Ioannes offendit: Ecce vndè Herodes furit; malos qui monet, offendit: incurrit odiũ, qui arguit criminoſos.

Dicebat Ioannes, quod erat legis, quod iuſtitię, quod ſalutis; certe quod erat non odij, ſed amoris. Ecce qualem conſequutus eſt ab impio pro pietate mercedem! ℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum. * Et dedit illi claritatem ęternam. ℣. Deſcenditquè cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit. Gloria. Et dedit.

In tertio nocturno.

LECTIO VII. *Cap. 6.*

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Marcum.

IN illo tempore: Miſit Herodes, ac tenuit Ioannem, ac vinxit eum in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris ſui, quia duxerat eã. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi. *Ser. 11.*

PRopter hunc locum, quem hodiè audiuimus, cum Euangelium recitaretur, dico charitati veſtrę. Videtis miſerum iſtum Herodem, Ioannem ſanctum virũ, & Dei hominem dilexiſſe. Sed quoniam temerè iurauit, ebrius lętitia, & delectatione, ſaltanti daturum ſe promiſit, quicquid illa puella, quę ſaltando placuerat, propoſuiſſet. At vbi poſcit rem crudelem, & nefariam, contriſtatus eſt quidem, (videbat enim tantum ſcelus fieri) ſed poſitus inter iurationem ſuam, & puellę

ellę petitionem, vbi videbat cruentum facinus, ibi rursùs timebat reatum periurij. Ne Deum offenderet periurando, Deum offendit ſęuiendo. ℟. Deſiderium animę eius tribuiſti ei Domine. * Et voluntate labiorũ eius non fraudaſti eum. ℣. Quoniam prçueniſti eũ in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Et voluntate.

LECTIO VIII.

QVid ergò debuit facere Herodes? Si dixero: non debuit iurare, quis non videat hoc eum non facere debuiſſe? Sed non conſulor de homine vtrum iurare debeat; ſed quid facere debeat qui iurauit. Ipſa eſt magna deliberatio. Temerè iurauit. Quis neſciat? Tamen lapſus eſt, iurauit. Ecce puella petiuit caput S. Ioannis. Quid facere debuit Herodes? Demus illi conſilium. Si dixerimus: parce Ioanni, non facias ſcelus: periurium ſuademus. Si dixerimus; noli periurare; ad ſcelus implendum prouocamus. ℟. Stola iucunditatis induit eum Dominus. * Et coronam pulchritudinis poſuit ſuper caput eius. ℣. Cibauit illum Dominus pane vitę, & intellectus; & aqua ſapientię ſalutaris potauit illum. Et coronam. Gloria. Et coronam.

LE-

LECTIO IX.

ANtequam veniatis ergò ad iſtum bicipitem laqueum, tollite de ore veſtro temerarias iurationes. Tamen ſcripturis diligentius perſcrutatis, occurrit mihi vnum exemplum, vbi video pium hominem, & ſanctum in temerariam iurationem cecidiſſe, & maluiſſe non facere quod iurauerat, quàm iurationem ſuam infuſo hominis ſanguine implere. Commemoro quando Saul Sanctum Dauid perſequebatur ingratus: ille cum ſuis ibat quocunque poterat, ne inueniretur à Saule, & occideretur. Et quodã die ab homine diuite, qui vocabatur Nabal, petebat ſuſtentaculum victus ſibi, & eis, qui cum illo erant: immiſericors dare noluit, & quod eſt grauius, contumelioſè reſpondit. Iurauit ſanctus Dauid eum occiſurum ſe eſſe. Occurrit Abigail vxor Nabal, & tulit ei neceſſaria, quę popoſcerat: ſuppliciter eum rogauit flexit, & à mariti ſanguine reuocauit. Iurauit temerè, ſed non impleuit iurationem maiori pietate. Te Deum, &c.

In Veſperis fit Commemoratio S. Ægidij Abbatis, & SS. Duodecim Fratrum martyrum.

DIE I. SEPTEMB.

Quarta die infra Oct. Decoll. S. Io: Bapt.

In

In ſecundo Nocturno.
De Serm. S. Petri Chryſol.

LECTIO IV. *Ser.* 173.

STultus Herodes de mortuo piè credit, quem feraliter perſequutus eſt viuum. Ioannes reſurrexit, ait, & tamen cõfitetur ignorans, quia in Chriſto pro Chriſto reſurgit occiſus. Herodes, quid egit gladius tuus? Crudelitas tua quid profecit? Quò proceſſit impietas tua? Si, vt ipſe dicis, redijt; ad virtutes reſurrexit, ad opera diuina, qui furore tuo putabatur extinctus. Ioannes reſurrexit, ſicut fateris ipſe: non hic perſona, ſed infirmitas perit: non hic Ioannes, ſed mors magis morte ſuccubuit. Illuſa eſt pęna: carnifex habetur irriſus: ipſa eſt cognitoris miſeri decepta ſententia, quę interemptum non perdidit, ſed promouit. ℟. Iuſtus germinabit ſicut Lilium. * Et florebit in æternum ante Dominum. ℣. Plantatus in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri. Et florebit.

LECTIO V.

IOannes reſurrexit à mortuis, propteреà virtutes operantur in illo. Et ſi hoſtis legis, per legem tamen ille reſurrectionem promiſſam didicerat mortuorum; et ſi reſurrecturũ Ioannem nouerat, cur inſanus occidit? Si ad totius diuinæ virtutis cul-

culmen, ſi ad totum quicquid eſt, poteſtatis inſigne, tali morte ſciebat eleuandum, cur ſe tantæ mortis eſſe facit authorem? Semper febrit impietas: à phreneſi ſemper crudelitas obtinetur. Carere dementia furor neſcit; in ſe namque ſęuit, quoties in alterum tendit. Se punit, dum percellit inſontem. Sibi lethalis eſt totus, cum ergà iuſtum crudelis exiſtit. Ecce Ioannes, vt ipſe dicis, iam viuit in Chriſto: ad tuam pęnam redit, qui venit ad omnium, cęleſti munere, medicinam.

℞. Iſte cognouit iuſtitiā, & vidit mirabilia magna, & exorauit Altiſſimum:* Et inuentus eſt in numero Sanctorum.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & peruenit ad cœleſtia regna. Et inuentus.

LECTIO VI. *Ser.* 127.

IVſſit decollari Ioannem, & allatum eſt caput eius in diſco, & datum eſt puellę, & puella dedit matri ſuę. Audiſtis, fratres, quanta ſit nata de voluptate crudelitatis, de libidine impietas. In arenam vertitur domus; menſa migrat in caueam; fiunt de pranſoribus ſpectatores; furore mutatur conuiuium; fit cibus cędes; vinum tranſit in ſanguinem; finis apponitur natali, in ortu exhibetur occaſus; conuiuium in homicidium commutatur; organa tragediam perſonant ſæ-

ſæcularem. Verùm, vt feſtiuitatum gaudia ſint cauta veſtrarum, nataliumque veſtrorum ſolemnitas teneat in exultatione menſurā, epulis noſtris interſit Chriſtus; in facie prandeatur authoris; honeſtate conuiuij natura ipſa, quæ vos produxit, honoretur. Lætitia menſæ veſtrę pertingat ad pauperes; familia veſtra innocenti tripudiet diſciplina; luxus abſiſtat, fugetur effuſio; ſaltatricum peſtis, lenocinia cantorum, voluptatum fomenta, ventris onera, naufragia mentium cum Herodiadis cõuiuiis abſcindantur: vt pręſens gaudium veſtrum ad lætitiam perueniat ſempiternam. Hodiè, fratres, ſermonem tulimus non in Herodem tantùm, ſed etiam in Herodiadem; quia ſatis auditor intelligit, quanta ſit felicitas Martyris, quando miſeriam perſequutoris audierit. Scire tamen nos conueniat quia & Ioannes de morte ſua natus eſt, de Natali ſuo mortuus eſt Herodes. ℞. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum.* Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Deſcenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit. Gloria. Et dedit.

In tertio Nocturno.

LECTIO VII. *Cap.6.*

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Marcum.

IN illo tempore: Miſit Herodes, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem uxorem Philippi fratris ſui, quià duxerat eam. Et reliqua.

Homilia Venerab. Bedę Pręsbyteri.

In Euangel. Sancti Marci.

SOli mortalium, Herodes, & Pharao leguntur diem natalis ſui gaudiis feſtiuis celebrare; ſed vterquè Rex infauſto auſpicio feſtiuitatem ſuam ſanguine fœdauit: Verùm Herodes tantò maior impietate, quantò ſanctum, & innocentem Doctorem veritatis, & preconem vitæ, ac Regni cęleſtis occidit. Et hoc pro voto, & petitione ſaltatricis, nequè eum caput occiſi ante conuiuas inferre puduit. Nàm Pharao nil talis inſaniæ commiſſe legitur, ſed tantùm peccantem ſibi Eunuchum vita priuari iubens, quò longiùs à veræ cultu Religionis aberat, eò leuiùs in violatione ſuę feſtiuitatis deliquit. ℟. Deſiderium animæ eius tribuiſti ei, Domine. * Et voluntate labiorum eius non fraudaſti eum. ℣. Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Et voluntate.

LECTIO VIII.

EX vtriuſquè exemplo probatur vtilius eſſe nobis diem mortis futuræ timendo, & eam agendo ſępiùs in memoriam reuocare, quàm diem Natiuitatis luxuriando celebrare. Homo enim ad laborem naſcitur in mundo, & electi ad requiẽ per mortem tranſeunt è mundo. Nõ excuſatur Herodes, quòd inuitus, & nolens propter iuramentum homicidium fecerit; quia adhoc fortè iurauit, vt futuræ occaſioni machinas prępararet. Alioquin ſi ob iuſiurandum fecisse ſe dicit; ſi patris, ſi matris poſtulaſſet interitum, facturus fuerat, an non? Quod in ſe ergò repudiaturus fuit, contemnere debuit & in Propheta. ℞. Stola iucunditatis induit eum Dominus. * Et coronam pulchritudinis poſuit ſuper caput eius. ℣. Cibauit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum. Et coronam. Gloria. Et coronam.

Pro S. Ægidio Abbate.

LECTIO IX.

ÆGidius Atheniẽſis, Regię ſtirpis, à prima ętate diuinis litteris, & charitatis officiis ita deditus fuit, vt nihil prętereà curare videretur. Itaquè parentibus mortuis, totum patrimonium in pauperes ero-

gauit; quìn etiam tunicam exuit vt ægrotum egentem tegeret, qua ille indutus ſtatim conualuit. Sed multis deinceps clarior miraculis, timens ſui nominis celebritatem, Arelatem ad Beatū Cęſarium contendit: à quo poſt biennium diſcedens ſeceſſit in Eremum, vbi diutiùs herbarum radicibus, & ceruę lacte, quæ ſtatis ad eum horis veniebat, admirabili ſanctitate vixit. Quæ cerua, inſequentibus quodam die canibus Regiis, cum in antrum Ægidij refugiſſet, Galliç Regem impulit, vt ab eo ſummis precibus peteret, vt in loco ſpeluncæ Monaſterium extrui pateretur. Cuius adminiſtrationem, flagitante Rege, inuitus ſuſcepit: eoquè munere aliquot annis prudenter, piequè geſto, migrauit in Cœlum. Te Deum.

In Laudibus fit Comm. S. Ægidij Abbatis, & SS. duodecim Fratrum Mart.

DIE II. SEPTEMB.

Quinta die infra Octauam Decoll. S. Io: B.

In ſecundo Nocturno.

LECTIO IV.

Sermo S. Petri Chryſologi. *Serm.* 174.

Herodianę cęnę cruentas epulas, conuiuiū ſic ferale, tunc terra, tunc Cęlum, hodie mecum veſter horruit

ruit

ruit auditus. Herodes, inquit, natalis ſui cęnā fecit. Benè cęnam, quia non luci, ſed tenebris addictus eſt hic natalis, in quo noctis filius natus eſt, non diei. Natalis ſui, inquit, cœnam fecit principalibus Tribunis, & primis Galilex. Quid egit incauta, & cæca ſemper impietas? Omnes euocat poteſtates, vt non tam multos conuiuij ſui ſocios, quàm innumeros criminis ſibi teſtes aſſumat: & tot habeat ſui facinoris arbitros, quot habuit præſides diſciplinæ. Cumquè intraſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet, inquit, & placuiſſet Herodi. Reſpondit ſuo turpis, generi, dum Patri complacuit turpiori. De adulterio namquè nonniſi turpis debuit procreari, quę fractis greſſibus, corpore diſſoluto, diſiuncta compage membrorum, fluentibus ex arte viſceribus, tota patri fieret deformitate formoſior. Et reuerà ſuam credidit tunc Herodes, cum talem vidit; nam putaſſet alienam, ſi pudicam vel aliquantulum peruidiſſet. ℟. Iuſtus germinabit ſicut Liliū.* Et florebit in æternum ante Dominum. ℣. Plantatus in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri. Et florebit.

LECTIO V.

SErpens tunc latebat in fęmina, quę reptans greſſibus flexuoſis le-

lethale toto corpore virus effudit: vt diſcũbentium mentes furor, venenum corpora ſauciarent: homines verterentur in beſtias: nec vino iam tales, ſed ſanguine potarentur; nec pane rabidi, ſed carnibus veſcerentur humanis. Tales vtique, tales reddidit, quibus adhuc fumante ſanguine caput intulit tunc Ioannis; vt illud Pſalmiſtę canticum probaretur: Dederunt carnes Sanctorum tuorum beſtijs terræ: effuderunt ſanguinem eorum tanquã aquam. Ecce quid pariũt totis noctibus protracta conuiuia! Ecce quid generet, quod cum menſura emitur, & ſine menſura bibitur vinum! Ecce quomodò precipitatur caro, cum ad luxurię facinus voluptatis inflammatur incendijs! Rogo quid tantis cuneis arctatur? Sufficit infelix caro ſibi ſuis caſibus ad ruinam, atteſtante Propheta, cum dicit: Vt quid irruitis in hominem: interficitis vniuerſi vos, tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulſę? ℟. Iſte cognouit iuſtitiam, & vidit mirabilia magna, & exorauit Altiſſimum. * Et inuentus eſt in numero Sanctorum. ℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & peruenit ad Cęleſtia regna. Et inuentus.

LECTIO VI.

IAcebat in Herode caro oppreſſa crapu-

lis, ebrietate captiua, quę titillante luxuria, & non tàm ludente, quàm illudente laſciua, promitteret quicquid turpitudo peteret ſe daturam. Pete à me quod vis, inquit, & dabo tibi. Et iurauit illi. Iurat miſer, dum quicquid honeſtatis eſt, & virtutis, abiurat. Pete à me quod vis. Quid peteret luxuria, niſi caſtitatis interitum, pudicitiæ necem, mortem ſibi ſemper contrariæ sanctitatis? Volo, vt mihi des in diſco caput Ioannis. Si caput viri eſt, iuxta Apoſtolum, Chriſtus, iam tunc nouello ore antiquiſſimus ſerpens Chriſti Domini tendebat ad mortem. Iam tunc auidus draco in ſerui capite Domini deguſtabat ſitiens paſſionem. Volo, vt des mihi in diſco. Cur pretiosè geſtas, quem viliter occidis? Niſi quia: Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorũ eius: Hoc ipſum, quod vis, non agis, quomodo ipſa vis. In illo quidem ferali antro, non aula Regis, rabies tunc fera paſtum ſuum credidit, cum caput martyris vidit; potum ſuũ ſenſit, cum liquorem ſacri sanguinis ſitiens, aſpexit: ferculum crudelitatis ſuæ toto ore, totis faucibus contendit, & conatur abſorbere. ℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tu-

turauit illum. * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Deſcenditquè cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit. Gloria. Et dedit.

In tertio Nocturno.

LECTIO VII. *Cap. 6.*

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Marcum.

IN illo tempore: Miſit Herodes, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris ſui, quia duxerat eam. Et reliqua

Homilia Venerabilis Bedę Presbyteri.

Super Euangel. Matth. Marc. & Lucæ.

NAtalem, fratres chariſſimi, Beati Ioannis diem celebrantes, oportet vt non ſolùm conſtantiam paſſionis illius pia deuotione recolamus: ſed & eorũ à quibus paſſus eſt, malitiam nobis in arma vertamus ſalutis. Tunc etenim ſcripturis ſanctis vtiliter animum intendimus, cum non ſolum in eis virtutes, ac prȩmia iuſtorum; verũ etiam vitia, vindictamque reproborum ad incitamentum nobis benè agendi proponimus. Hoc ſiquidem, & ipſius Domini docemur exemplo, qui, vt humanæ ſuperbiæ ceruicem frangat, ac ſublime nobis humilitatis iugum imponat, non ſuæ tantùm humilitatis formam: quam ſequamur, inſinuat, dicens: Diſcite à me quia mitis ſum, & hu-

humilis corde; Sed etiã Angelicę ſuperbię deiectionem, quam caueamus, ad memoriam nobis reuocat, dicens: Videbam Sathanã quaſi fulgur de Cœlo cadentem. ℞. Deſiderium animæ eius tribuiſti ei Domine. * Et voluntate labiorum eius non fraudaſti eum. ℣. Quoniam pręueniſti eum in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite eius coronam de lapide prętioſo. Et voluntate.

LECTIO VIII.

IMpletum videmus in Ioanne quod de illo Angelus Zacharię, priuſquam naſceretur, prędixit: quià precederet antè Dominum in ſpiritu, & virtute Elię. Ambo namquè continenter viuentes, ambo habitu inculti, ambo in ſolitudine degentes, ambo pręcones veritatis, ambo Regis, & Reginę perſecutionem propter iuſtitiam perpeſſi ſunt. Ille Acab ex Iezabel, iſte Herodis ex Herodiadis. Ille, ne ab impiis occideretur igneo curru eſt raptus in Cœlum; iſte ne ab impiis vinceretur, perfecto martyrij certamine, ſpiritu cœleſtia regna petiuit: Angelorum vtiquè ſubuectus auxilio. ℞. Stola iucunditatis induit eum Dominus. * Et coronam pulchritudinis poſuit ſuper caput eius. ℣. Cibauit illum Dominus pane vitæ, & intelle-

 ctus,

ctus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum. Et coronam. Gloria. Et coronam.

LECTIO IX.

NON populus tantùm, ſed etiam ipſe Herodes Ioannem ſicut Prophetam habebat, teſte Euangeliſta Marco, qui dicit: Herodes enim metuebat Ioannem, ſciens eum virum iuſtum, & ſanctum, & cuſtodiebat eum & audito eo, multa faciebat, & libenter eum audiebat. Sed vicit amor mulieris, eumquè in illum, quem ſanctum eſſe nouerat, & iuſtum, manus mittere coegit; Qui quoniam noluit cohibere luxuriam, ad homicidij reatum prolapſus eſt: minuſque illi peccatum, maioris erat cauſa peccati: Hęc namque eſt illa diuini diſpenſatio examinis, de qua dicitur: Qui nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt; ſordeſcat adhuc. At contrà quod ſequitur. Et ſanctus ſanctificetur adhuc, ad Beati Ioãnis perſonam conuenienter aptatus, qui ſanctus exiſtens, ſãctificabatur adhuc, dùm per officium euangelizandi ad martyrij palmam peruenit. Te Deũ laudamus, &c.

DIE III. SEPTEMB.

Sexta die infra Octauã Decollationis S. Ioannis Baptiſtæ.

In

In ſecundo Nocturno.

LECTIO IV.

De Serm. S. Petri Chryſol. *Sermo* 174.

IOannes venit in ſublimi poſitus, vt lucerna ſuper candelabrum, tenebras vi fugaret, dicente Domino: Ille erat lucerna ardens, & lucens. Venit Ioannes, vt Iudex in Tribunali reſplendens, vt qui arguit adulterum, exponeret, & damnaret homicidam: Et qui piè viuens inceſtum vocarat ad pœnitentiam, reſeruauerat ad veniam, homicidium etiã damnaret occiſus. Quam, quæſo mereretur veniam, qui in morte Ioannis ipſam pœnitentiam tam crudeliter interemit? Gratis cucurriſtis Herodes, & Herodias, nomina non affectione ſociata, ſed crimine: qui vocem intercipi poſſe ſtultiſſimè credidiſtis: Ego ſum, inquit, vox clamantis in deſerto. Vox occidi non poteſt, ſed magis clamat: anguſtias corporis abſoluta. Sic vox Abel in ſuo iam effuſa ſanguine magis ſonat, magis penetrat, magis pertendit ad Cęlum. Sic nunc Ioannes toto orbe clamat: totis ſęculis facinus veſtrum cunctis refert, & oſtentat in gentibus. ℞. Iuſtus germinabit ſicut Lilium. * Et florebit in æternum ante Dominũ. Plantatus in domo Domini, in atriis domus

Dei noſtri. Et florebit.

LECTIO V.

ECce Ioannes Chriſti capite gloriatur, qui capite putabatur addictus. Ecce eo die, quo tu finiſti tuum, ille ſibi natalem cælitùs cõquiſiuit; quia quando tuus ortus merſit in finem, tunc illius finis ortus eſt in natalem. Iuſtus enìm tunc inchoat viuere, cum pro Chriſto meretur occidi: transfertur iſta morte, vita martyris, non aufertur: morte magis claruit, qui ob hoc mortuus eſt, vt viueret in ęternum. Ecce tu iaces in morte: Ioannes viuit occiſus. Tu fucatam murice purpuram perdidiſti: Ioannes cruore ſuo fulgenti purpura ſemper gloriatur indutus. Tui conuiuæ nũc tuis participes efficiuntur in pœnis: Ioannes cęleſti menſa choris veſcitur Angelorũ. Ille audit cęleſtem iugiter Symphoniam; tu audis inferni ſemper gemitum, & ſtridorem. Ille meretricis tuę, ſaltatricis tuæ addictus in pretium, nunc regno, nunc præmiis cęleſtibus honoratur: tu mercedem ſentẽtię tuę cum tua Filia in Tartaro, percepiſti. ℟. Iſte cognouit iuſtitiam, & vidit mirabilia magna, & exorauit Altiſſimum. * Et inuentus eſt in numero Sanctorum. ℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & peruenit ad cęleſtia regna. Et in-

inuentus eſt.

LECTIO VI.

VEſtimentũ Ioſeph, cum adulteram fugeret, dereliquit: Ioannes, ne videret adulteram, ipſum proiecit & corpus. Ioſeph, ne adulterium faceret, libens carcerem ſuſcepit: Ioannes, vt argueret adulterium, eremum carcere commutauit: Ioſeph, ſomnia dum reuelat, euaſit ex morte: Ioannes, vt Dei filium reuelaret, ſuſcepit & mortem. Ioſeph, dum panem pręparat temporalem, ex auro torquem meruit, & honorem: Ioannes, vt oſtenderet cœleſtem credentibus panem, ſecundùm illud: Ego ſum panis viuus, martyrij torquem meruit ex cruore. Meritò in natis mulierum cunctis maior eſt hic Ioannes, qui non ſolùm adulteras arguit, ſed, & licita mulierum conſortia, Virginitatis amore calcauit. Et ſi Ioannes tantus, Ioannes talis, tanta eremo ſeparatus à fœminis, fœminarum pericula nõ euaſit; quis eſt, qui inter fœminas viuens euaſurum ſe ſine labore maximo, maxima ſine cautione confidit, niſi is, qui ſancto alitur ſpiritu? qui cùm Genitore, Natoque vnà, cuncta diſponit ſęcula, per quem omnia ſpatia. ℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis & à ſeductoribus tutauit illum. * Et de-

dedit illi claritatem æternam. ℣. Deſcenditquè cum illo in foueam, & in vinculis nõ dereliquit eum. Et dedit. Gloria. Et dedit.

In tertio Nocturno.

LECTIO VII. *cap. 6.*

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Marcum.

IN illo tempore: Miſit Herodes, ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris ſui, quià duxerat eam. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedę Presbyteri.

Super Euang. Matth. Marci, & Lucæ.

INdignum quidem natali ſuo Rex ſpectaculum prębuit, qui conuocatis ad epulas Principibus, Tribunis ac Ducibus gentis, ſpectandum in diſco caput occiſi protulit: indignique conuiuæ, an potiùs inuitatori ſuo condigni, è quibus nullus inuentus eſt, qui hominem inter feſta diſcumbentium puniri, qui ab adulteris iuſtum, qui Iudicem à reis capite plecti vetaret: præſertìm cum Rex aſſumpta ſpecie mœſtitiæ, coactum ſe hoc facere proteſtaretur; eſſetquè opportunum, quòd hortatùr conuiuantium à promiſſo ſcelere reuocari deberet, ſi nõ illum hęc de induſtria pręſtruxiſſe cognoſcerent: imò ipſos quoquè par eiuſdem ſceleris amor irretiret. ℟. Deſiderium

rium animę eius tribuiſti ei Domine. * Et voluntate labiorum eius non fraudaſti eum. ℣. Quoniam pręueniſti eũ in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite eius coronám de lapide pretioſo. Et voluntate.

LECTIO VIII.

SED dignam ſupernis aſpectibus virtutem ſui certaminis Beatus Præcurſor Dominicæ Nativitatis, prędicationis, & mortis oſtendit, qui vt ſcriptura ait: Et ſi coràm hominibus tormenta paſſus eſt, ſpes illius immortalitate plena eſt: cuius diem natalis meritò feſta celebritate repetimus, quem ipſe própria paſſione nobis ſolemnem reddidit, quem roſeo ſanguinis ſui fulgore decorauit. Meritò memoriam illius cum ſpiritali gaudio veneramur, qui teſtimonium: quod Domino perhibuit, martyrij ſignaculo concluſit. ℟. Stola iucunditatis induit eum Dominus. * Et coronam pulchritudinis poſuit ſuper caput eius. ℣. Cibauit illum Dominus pane vitę, & intellectus: & aqua ſapientię ſalutaris potauit illum. Et coronam. Gloria. Et coronam.

LECTIO IX.

NEque enim dubitandum eſt, quià Beatus Ioãnes pro Redẽptoris noſtri, quem pręcurrebat, teſtimonio carcerem, & vincula

cula ſuſtinuit, pro ipſo, & animam poſuit: cui non eſt dictum à perſecutore, vt Chriſtum negaret, ſed vt veritatẽ reticeret, & tamen pro Chriſto occubuit. Quia enim Chriſtus ipſe ait: Ego ſum veritas, ideò vtique pro Chriſto, quia pro veritate ſanguinem fudit; & cui naſcituro, prędicaturo, baptizaturo prius naſcendo, prędicando, ac baptizando teſtimoniũ perhibeat, hunc etiam paſſurum prior ipſe patiendo ſignauit. Quorum tamen paſſiones diuerſo ordine conſummati, certa ſupernę prouiſionis diſpenſatione geſtum eſt, vt videlicet, Redemptor noſter, extrà portam Ciuitatis cuncto aſſiſtente populo, ſubleuaretur in crucem. Pręcurſor verò eius, in abdito carceris capite truncaretur. Diſparem vtriuſque qualitatem, diſpar modus paſſionis inſinuat. Te Deum.

DIE IV. SEPTEMB.

Septima die infra Octauam Decollationis S. Io: Baptiſtę.

In ſecundo nocturno.

LECTIO IV.

Sermo S. Fulgentij Epiſcopi. *Ser. 7. in Math.*

EVangelicę Lectionis, fratres, hodierna narratio opportunam collationem ſenſibus noſtris attribuit. Audiuimus vitiis obuiaſſe

aſſe virtutes, cum Herodis nequitia; Herodiadis luxuria, Sancti verò Ioannis veneranda iuſtitia demonſtrata eſt: in tantum vt libenter ſuſciperet mortem, ne videretur contemnere veritatem. Vide quæ tria in vnam conuenerint cauſam. Miranda res, ſi rectè diſcutias grauitatem Prophetæ, luxuriã muliebrem, & Herodis ſæuiſſimam feritatem. Dicite mihi, quid habetis cum Ioanne Baptiſta Herodes, & Herodias, quos ad conſortium adduxit nominum impuritas criminum? An hoc timetis, nè qui vobis vocabulis coniungimini, in luxuria forſitan ſeparamini? Eſtote certiſſimi, quia ſicut vno conſenſu caditis in luxuriam, ita vno nomine ſuſcipietis ſententiam. ℟. Iuſtus germinabit ſicut Lilium.* Et florebit in ęternum ante Dominum.
℣. Plantatus in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri. Et florebit.

LECTIO V.

Tenetis in carcere iuſtum, quia vobis legaliter interdixit inceſtum, quaſi poſſit veritas alligari. Et ſi omnia membra vinculorum nexibus aſtringat, ſola lingua non poteſt cuſtodiri: cui liberum eſt veritatem ab impijs contaminari. At, inquies: quare impedit deſiderium noſtrum? Ille poteſt deſi-

derium impedire, cui licet in tempore flagitia remouere. Nunc verò cum hoc tibi denunciat Propheta, quia Domini voluntati diſpliceat, nemo ferè ſapiens erubeſcit audire, quod non piguerit ſine verecundia perpetrare. O humana dementia! vt luxurietur Herodes, necatur Ioannes. Nunquid Propheta ſuo ſe terruit merito, & non diuino iudicio? Res eſt extremæ dementiæ odiſſe loquentem, nec metuere iudicantem: quaſi idcircò iam non timeas iudicem reticendum, ſi præconem poſſis necare clamantem, de quo Iſaias teſtatus eſt, dicens: Hic eſt vox clamantis in Eremo: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. ℟. Iſte cognouit iuſtitiam, & vidit mirabilia magna, & exorauit Altiſſimum. * Et inuentus eſt in numero Sanctorum. ℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & peruenit ad cœleſtia regna. Et inuentus.

LECTIO VI.

IAm veniendum eſt ad paſſionis faſtigiũ. Paratum eſt conuiuale theatrum: prouidetur laſciua, carnifex, fœmina, quæ Prophetam, non gladio, ſed ſaltatione proſternat. Molli puella greſſu procedit in medium, homicidiũ petitura, & adultero placitura: alienum in pedibus portans ſanguinem,

nem, & ſceleris poſtulatura mercedem. Sic ſaltat, vt placeat: ſic placet, vt occidat. Proh nefas! vt luxu corporis ſui mulier periculum petat capitis alieni. Quid agimus Ioannes? Quem non terruit vaſta Eremi ſolitudo, terrebit mulieris iſta ſaltatio? Sed melius eſt, inquit Dominus, vt vnũ ex membris tuis abſcindas, quàm totum corpus tuum gehennę ignibus tradas. Et iterum: nolite timere eos, qui occidunt corpus. Ecce iam Diabolo procurante, ludens cæpit delectari puella ad hoc ſolum, vt poſſit occidere Prophetam. ℞. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum. * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Deſcenditquè cum illo in foueam, & in vinculis nõ dereliquit eum. Et dedit. Gloria. Et dedit.

In tertio Nocturno.

LECTIO VII. *cap. 6.*

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Marcum.

IN illo tempore: Miſit Herodes, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris ſui, quià duxerat eam. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Magni.

Moral. expoſ. in B. Iob lib. 2 in cap. 2. Iob cap. 5.

DVm Beati Iob vulnera, cruciatuſquè con-

conſidero, repentè mentis oculos ad Ioannem reduco, & non ſine grauiſſima admiratione perpendo, quod ille Prophetię ſpiritu intrà matris vterum impletus, atque, vt ita dixerim, priuſquam naſceretur renatus, ille amicus ſponſi, ille quo inter natos mulierum maior nemo ſurrexit, ille ſic Propheta ab iniquis in carcerem mittitur, & pro Puellæ ſaltu capite truncatur, & vir tantæ ſeueritatis pro riſu turpium moritur. ℞. Deſiderium animæ eius tribuiſti ei Domine. * Et volũtate labiorum eius non fraudaſti eum. ℣. Quoniam preueniſti eũ in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Et voluntate.

LECTIO VIII.

NVm quidem credimus aliquid fuiſſe, quod in eius vita illa ſic deſpecta mors tergeret? Sed quando ille vel in cibo peccauit, qui locuſtas ſolummodò & mel ſylueſtre comedit? Quid Deo vel de qualitate ſui tegminis deliquit, qui camelorum pilis corpus operuit? Quid de conuerſatione ſua offendere potuit, qui de Eremo non receſſit? Quid illum loquacitatis reatus polluit, qui diſiunctus longè ab omnibus fuit? quando illum vel ſilentij culpa attigit, qui ad ſe venientes tàm vehemen-

ter

ter increpauit, dicens: Genimina viperarum, quis demonſtrauit vobis, fugere à ventura irâ? Quid eſt ergo, quod Iob Dei teſtimonio ꝓfertur, & tamen plagis vſque ad ſterquilinium ſternitur. ℟. Stola iucunditatis induit eum Dominus. * Et coronam pulchritudinis poſuit ſuper caput eius. ℣. Cibauit illum Dominus pane vitę, & intellectus: & aqua ſapientię ſalutaris potauit illum. Et coronam. Gloria. Et coronam.

LECTIO IX.

QVid eſt, quod Ioannes de voce laudatur, & tamen pro temulenti verbis in ſaltatricis præmium moritur? Quid eſt, quod Deus Omnipotens ſic vehementer in hoc ſæculo deſpicit, quos ſic ſublimiter antè ſæcula elegit, niſi hoc, quod pietati fidelium patet, quoniam idcircò ſic eos præmit in infimis, quià videt quomodo remuneret in ſummis, & foras vſquè ad deſpecta dejicit, quia intùs, vſquè ad incomprehenſibilia perducit? Hinc ergò vnuſquiſque colligat, quid illic ſint paſſuri, quos reprobat, ſi hic cruciat, quos amat, aut quomodo ferientur qui in iudicio arguendi ſunt, ſi ſic eorum vita premitur, qui ipſo Iudice teſte laudantur. Te Deum.

DIE V. SEPTEMB.

In Octaua Decollationis S. Io: Baptiſtę. Duplex.

In ſecundo Nocturno.

LECTIO IV.

De ſermone S. Fulgentij Epiſcopi.

Serm. in Matth.

NEſcio quid habet ſemper muliebre nomen cum Sanctis. Et Elias, in cuius ſpiritu veniſſe Ioannem teſtatus eſt Dominus, Iezabel Reginam, grauē paſſus eſt inimicam, quam dum fugit, totam vitam ſuam in fuga contriuit. Cuius tantum timuit gladium, vt viuus fugiſſet in Cœlum. Quocunque pacto perſequitur mulier, ſi placeat, iugulat; ſi diſpliceat, peius excruciat: ſed melius diſplicet cū corporis morte, ne animæ tollat, quod maius eſt, ſanitatem. Quod iam dudum dicere perhorreſco, placuit & ſaltatrix: ſed quid mirum, ſi inter dapes largas, & poculorum frequentes procellas puella laſciuiens mulceat ſenſus, inclinet affectus? Vinū, & ſaltatio duplex incendium voluptatis. Inſuper offertur luxuriæ, quodcunque popoſcerit prēmium, ſtatim eſſe donandum, etiam ſi dimidium Regni fœmina petiiſſet. ℞. Iuſtus germinabit ſicut Lilium. * Et

Et florebit in æternum ante Dominum. ℣. Plantatus in domo Domini, in atriis Domus Dei noſtri. Et florebit.

LECTIO V.

CVlmine igitur Regni contempto, caput Ioannis petiuit in diſco, plus odiens eum, qui interdixit inceſtum quàm diligens eum, qui promiſerat Regnum. Execratur Magiſtrum diſciplinæ, præſumit de mercatore luxuriæ. O nequitia fœminæ! Elegit contemnere honorem, vt lucrum faceret ſanguinem. Verè, quia nō cogitat de imperio, cui charior eſt turpitudo. Recens exſecti capitis ſanguis fluebat in diſco, ad pietatem prouocans bonos, terrorem malis incutiens; hoc ſolum, ſcilicet, defuit regalibus menſis. Multorum credo iam capita piſcium, pecudumque præceſſerant: Sed quantum eſt ad regiam voluptatem? Potuit hoc forſitan, & priuata menſa conſpicere. Nihil actum, nihil denique procuratum eſſe, ſi defuiſſet regio prādio caput humanum. ℟. Iſte cognouit iuſtitiā, & vidit mirabilia magna, & exorauit Altiſſimum. * Et inuentus eſt in numero Sanctorum. ℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & peruenit ad cęleſtia regna. Et inuentus eſt.

LECTIO VI.

ET hoc nō paſſim, aut fortè vulgare, ſed

de

de carcere ad menſam caput allatum eſt Propheta le. Solent Reges in ſolemnitatibus ſuis magnas, ac terrenas epulas quærere: Herodi cępit & carcer delicias miniſtrare. Et ideò ſemper eſt Deo grata paupertas, cuius cibus non habet ſanguinem, ſed oſculum vile manſuetam ſupplet eſuriem. Nam tribus pueris cibus, olus, & legumina fuit: Alioquin nunquã vincerent flammas, ſi vellent amare delicias. Verè quia neſcis quid agat impietas, cum eum quem odis, plus honoras, quàm damnas; vtiquè cum argenteo diſco caput exhiberi iubes ad menſam. Non eſt, vt credis, memoria crudelitatis: ſed illius iam miniſtratus decus honoris. Ita enim portabitur & ad Cœlum, vt inde tibi inferre ſuum iudicem excitet Deum, cui eſt gloria in ſęcula ſęculorum. ℟. Honeſtũ fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum.* Et dedit illi claritatem ęternam ℣. Deſcenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit. Gloria. Et dedit.

In tertio nocturno.

LECTIO VII. *Cap.6.*

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Marcum.

IN illo tempore: Miſit Herodes, ac tenuit Ioannem & vinxit eũ in carcere propter Hero-

rodiadem vxorem Philippi fratris ſui, quia duxerat eã. Et reliqua.

Homilia Venerab. Bedę Presbyteri.

Super Euang. Matthæi, Marci, & Lucæ.

Ille, qui libertatem ſupernę pacis Euangelizabat, ab impijs in vincula conijcitur. Clauditur obſcuritate carceris, qui venit teſtimonium perhibere de lumine: Quique ab ipſa luce, quæ Chriſtus eſt, lucerna ardens, & lucens appellari meruit, quo in natis mulierum maior nemo eſt, ad petitionem mulierum turpiſſimarum capite plectitur: & ipſe proprio cruorè baptizatur, cui Redemptorem mundi baptizare, cui vocem Patris ſuper illum audire, cui Spiritus ſancti gratiam in eum deſcendentis videre, donatum eſt. Sed non erat graue, imò leue, ac deſiderabile erat talibus tormẽta pro veritate perpeti, quę perpetuis nouerant remuneranda gaudijs. ℟. Deſiderium animæ eius tribuiſti ei Domine. * Et voluntate labiorum eius non fraudaſti eum. ℣. Quoniam pręueniſti eum in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite eius coronam de lapide prętioſo. Et voluntate.

LECTIO VIII.

Optabilem habebat mortem, quę naturę nęceſſitate ineuitabilis imminebat, con-

feſſo Chriſti nomine, cum palma vitę perennis exire. Vnde bene dicit Apoſtolus: quia nobis donatum eſt à Chriſto, non ſolum vt in eo credatis, ſed etiã vt pro eo patiamini. Qui ideò donum eſſe dicit Chriſti, vt pro illo patiantur electi, quia, ſicut idem dicit: Non ſunt condignę paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. ℞. Stola iucunditatis induit eum Dominus. * Et coronam pulchritudinis poſuit ſuper caput eius. ℣. Cibauit illũ Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua ſapientię ſalutaris potauit illum. Et coronam. Gloria. Et coronam.

LECTIO IX.

CVm ergò tam eximios regni Cęleſtis hęredes, tanta in hûius exilio mortalitatis pati viderimus; quid nobis inter hæc, fratres chariſſimi, reſtat agendum, niſi vt tanto magis humiliemur in conſpectu pij Conditoris, & Redemptoris noſtri, quantò nos patenter animaduertimus eos, nec vitæ imitatione ſequi poſſe, nec mortis. Itaquè iuxtà vocem primi Paſtoris, humiliemur ſub potenti manu Dei, vt nos exaltet in tempore viſitationis. Humiliemur cum Ioanne, ieiunemus, & obſecrationes faciamus aſſiduas, exultemus minui coram hominibus, exerceamur, & de-

& deficiat pauliſper ſpiritus noſter vtique, id eſt carnalis, & ſuperbus, qui ſolebat inflari, vt bonæ actionis profectibus ante illum creſcere, & cum illo exaltari valeamus, qui de Cœlo ad terras venire dignatus eſt, vt nos, qui de terra ſumus, ſubleuaret ad Cœlos, Ieſus Chriſtus Dominus noſter. Te Deum.

LAVS DEO.

Die 28 Nouembris 1671.

EGO infrà ſcriptus Secretarius Venerabilis Aſſembleæ R. R. Fratrum Cappellanorum S. Ioannis Hieroſolymitani, fidem facio omnibus ad quos ſpectat qualiter ſubſequens Decretum Sacræ Congregationis fuit à me extractum ab Originali conſeruato in Libris Venerabilis Aſſembleæ tenoris ſequentis.

MELITENSIS.

SAcra Rituum Congregatio benignè conceſſit Priori, & toti Clero maioris Eccleſiæ Conuentualis, ſub titulo S. Ioannis Baptiſtę Ciuitatis Melitenſis, facultatem faciendi Octauam Dacollationis prædicti S. Ioannis Baptiſtæ Protectoris eiuſdem Ciuitatis, & per eoſdem recitandi Lectiones proprias dicti S. alias, & ſub die 19. Septembris 1660. per eamdem Sacram Congregationem approbatas, pro Ciuitate Ianuæ. Hac die 13. Septembris 1670.

M. Epiſcopus Portuenſis Gard. Ginettus.
Locus ✠ Sigilli.

BERNARD. CASALIVS Sac. Rit. Congregationis Secret.
Ita eſt.
F. PAVLINVS BIVNDVS Secretarius Vener. Aſſembleę.

FRater Don Nicolaus Cotoner, Dei gratia ſacræ Domus Hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani, & Militaris Ordinis S. Sepulchti Dominici Magiſter humilis, pauperumque Ieſu Chriſti cuſtos: Vniuersis, & ſingulis preſentes noſtras Litteras viſuris, lecturis, & audituris, ſalutem. Notum facimus, & in verbo veritatis atteſtamur qualiter Religioſus in Chriſto nobis chariſſimus F. PAVLINVS BIVNDVS, qui ſupraſcriptis ſe ſubſcripſit, fuit. & de præſenti eſt Venerabilis Aſſembleæ F. Capellanorum Conuentualium Secretarius, cuius ſubſcriptionibus in ſimilibus ſcripturis vbiq, tàm in iudicio quàm extrà ſemper adhibita fuit, & in dies adhibetur plena & indubitata fides. In cuius rei teſtimonium Bulla noſtra Magiſtralis in cera nigra præſentibus eſt impreſſa. DATVM Melitæ in Conuentu noſtro die 28. menſis Nouembris 1671.

F. Dom EMANVEL ARIAS Vice-Cancellarius.

89 853842